



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Thomais M. 14. Aprilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

S. THOMAS M. 14. Aprilis.

Nata est THOMAS Alexandria, à parentibus bene ac pudicè educata, & demum nuptui tradita, ut ante Virginibus, sic Matronis postea præluxit. Sed raro castitas inter multos habitat tuta. Ausus est focer, cujus in domo cum marito degebat, omnis juris atque adeò pietatis in filium oblitus, conjugalem in nuru fidem tentare. Cohorruit illa ad tam infanda, & monitis preces, precibus lacrimas addidit. At ille, cui pudorem non potest, vitam extorquet, mediamque, non auditâ crudelitate, secat. Enimverò non tulit vindex Numen, sed parricidium extemplo cæcitate multavit. Interea adsunt, qui maritum castissimæ volunt cõventum; vident sanguini suo innatare pudicitiam; vident cœco vestigio muris oberrantem Susanneum senem; quis tragœdiam hanc dederit? rogant. Non ausus est diffiteri auctorem se esse amens Oedipus; sed cum atrocitatem criminis, quam videns non viderat, nunc cœcus vel sole clariorem aspiceret, non dubitavit ultro mortem orare, & capitis in se sententiam ipse pronuntiare. Et verò hunc facile judices audiverunt, cœcumq; duci scilicet jusserunt: THOMASIDIS verò tumulus ceu Martyris cultus à Cœnobitis Scetanis, Asylon deinceps

deinceps fuit eorum, qui hostem Cupidinē fugerent. Nimirum jam antè cœcutiens puer oculis suis timet. *Ex Men.*

S. LYDWINA V. 14. *Aprilis.*

LYDWINA formam obesse castitati lvidens, dignum virgine rata est votum, deformitatem à cælo petere. Audiit hoc, & omnia morborum examina misit: iis ita omnis gratia defluxit, ut nemini jam placeret cadaver domum ducere. Sed sic illa demum formosa CHRISTO visa est. Hic ex amantibus solus jam agræ cum MATRE assidere; solus amoris sui & patientiæ symbola per Angelos lectulum ambientes ostentare: quorum certè unâ recordatione LYDWINA cruciatus suprâ quàm dici aut credi potest, graves, facile tamen omnes redimebat. Genium tutelarem ducem ad ea loca, quæ CHRISTVS olim præsentia suâ nobilitavit, ad purgantes item flammæ & beatas sedes habuit. Ab eodem donum è primi parentis horto lignum tulit odore nobile: ut inde una jam vel virginitas vel patientia sperare quid posse videatur. In subsidium pauperum ipsa pauperissima peculiū tamen corrogabat, & IESV *crumenam* dictitabat; cui profectò omnes, cū audient, avari inuidebunt, quippe quæ exhauriri nunquam potuit. Homini facinoroso suavit, plumis in